

uangelia legantur. foli III^o euangeliste matheus. marcus. lucas. iohannes apud maiores nostros pondus auctoritatis comprobati sunt obtinere &c. neque Autoris mihi noti est.

LXXXIX.

R. 1636 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 108. f. caractere grandi eleganter exaratus, auro coloribusque distinctus, priusque Bibliothecae Civicae Vindobonensis complectitur S. Matthaei Evangelium utraque Glossa, tam ordinaria, quam interlineari Textum diversimode, concinne tamen circumdante stipatum. In anteriore Theca et fol. contiguo comparet Annus 1381. decembris 5^o. et Tabula adcurate exhibens, quid ex isthoc Evangelio, et quo die per annum in Ecclesia legatur. Huic Tabulae praegrandibus literis subscriptum est: *Is liber spectat Carnario Cimiterij S. Stephani Wien.* quod theca posteriore continuatur sic: *anno Mille^o quadrin^o XLIII^o.* Vides *Carnarium* aliud esse a *Coe-meterio*, dicendum potius *Offarium*, in quo videlicet Offa diu sepulta, ut recentibus cadaveribus locum facerent, e tumulis eruta, praecipue Calvariae, per ferias erigebantur. Sacellum, et fortasse D. *Magdalenae* nunc terrae aequatum, *Carnario* adfuisse, et in hujus Vestiario, vulgo *Sacristia*, ut mos erat, Codicem nostrum cum aliis servatum fuisse, credibile est.

Additum est huic Codici Evangelium Nicodemi, quod Sec. XV. 16. foll. scriptum incipit: *Factum est nono decimo Teberii cesaris imperii romanorum et Herodis imperii gallilee Anno XIX principatus eius VIII Kalendis aprilis hoc est XXV die mensis Marcii consulatus Rufi vellionis &c.* Unum Exemplar Vol. I. P. I. col. 453. recensitum dedi hujus spurii Foetus, et hoc Vol. jam istud tertium refero. Habet ad calcem *Pilati Epistolam* priorem, eique Fabulam adnectit de *Tiberio aegroto spe valetudinis recuperandae Volusianum ad Christum Hierosolymas ablegante*, qui cum intelligeret, eum a *Pilato* morti traditum, Praesidi exitium accersivit. Nihil de hac Fabula reperi in *Cod. Apocr. N. T. Fabricii*. Ceterum confer, quae de ipso Evangelio ad alia Exemplaria dixi, et *Phil. Jac. Lambacherus* in *Bibliotheca antiqua Vindob. Civica* 1750. 4. edita de hoc Codice p. 26. commentatus est; neque enim aut res, aut effrenis Librariorum licentia, qua in trajiciendo et corumpendo textu usi sunt, plura meretur.

XC.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2220 XIV. Folior. 78. f. min. columna angusta media luculente exaratus, minutius vero inter lineas et in marginibus, olim Bibliothecae Episcopatus *Neostadiensis*, S. *Matthaei Evangelium* exhibet *Glossa* tam

tam ordinaria, quam interlineari stipatum, ut habemus in glossatis *Bibliis*, Capitum hodierna divisione numeris in margine adstitutis, et praemisso vulgari argumento: *Matheus ex Judea sicut in ordine primus ponitur &c.* Extrema Folia nigredine quadam adfecta sunt.

XCI.

- U. 12 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 51. f. eleganter perscriptus et rubricis enotatus, annoque 1540. donatus Collegio suo apud S. *Nicolaum* a docto Praefule *Vien. Job. Fabro Evangelium S. Marci* est, columna media Textum lineis ad recipiendam *Glossam* inter se distantibus exhibens, et *Glossis* utrinque ad latera stipatum. Praeit *Prologus Hieronymi*, ut in *Bibliis glossatis: Marcus Evangelista dei et Petri in baptisinate filius &c.* *Glossae* etiam praeter *interlinearem* e *Glossa ordinaria* delectae sunt.

XCII.

- R. 908 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 125. f. per tres columnas pereleganter scriptus et coloribus illustratus, olim Collegii S. J. *Viennae*, habet *Evangelium S. Lucae*, medio quidem luculente exaratum, utrinque autem *Glossa Walafridi Strabi*, quam ordinariam dicimus, stipatum, accedente etiam inter lineas illa, quam ad *Anselmum Laudunens.* referre amant, prout in *Bibliis glossatis*

impressis cernimus. Initium est a Prologo perperam *Hieronymo* tributo: *Lucas natione anthiocenus. arte medicus. discipulus apostolorum. paulum secutus usque ad confessionem eius. seruiens domino fuit sine crimine. Nam neque uxorem umquam habens neque filios. LXXXIV. annorum obiit in bitinia &c.* Ita usque ad illa verba: *Lectorem obsecro &c.* quae etiam in multis aliis Exemplis desunt. Quae de Uxore memorantur, leguntur quidem similiter apud *Hieronymum de Viris illustr.* C. 7. in quibusdam Mss. et Impressis, sed ea nec meliores Codices, neque graecus Interpres, quem *Sophronium* Autori *συγγεγον* putant, agnoscunt. Vide, si vacat, *Fabricii Biblioth. Eccles.* p. 48. et *Caveum* edit. *Basil.* 1741. T. I. p. 285. Ad calcem Noster litera quadrata: *Explicit. Lucas Evangelista.*

XCIII.

- Codex membraneus lat. Sec. R. 1638 XIV. Folior. 127. f. min. nitidissime exaratus, coloribus speciosus et prius *Bibliothecae Civicae Vindob.* continet *Evangelium S. Lucae* *Glossa* tam ordinaria, quam inter lineas stipatum, non tamen omni illa, quae in *Bibliis glossatis* hodie reperitur; delectus enim arbitrium aut penes Curatores, aut penes Scriptores Codicum erat. Prologi *Hieronymiani* Paginae duae primae prorsus extritae sunt; reliqua omnia optime servata. Thecae anteriori inscriptum: